

en San Vincente de Avila, ni en el herrojo de Santa Agueda, ni sobre Altar, ni cuerpo santo, ni en otra Iglesia juradera, so pena de diez mil maravedis para la nuestra Camara y Fisco al que lo jurare, y al Juez que lo mandare, y al que lo pidiere o demandare.

Id est: Nullum iuramentum, etiam a iudice impositum, aut ab adversa parte postulatum, fiat apud sanctum Vincentium Avulensem, aut in viciniam sanctum Agatham, nec super Altare, aut sancto quopiam cadavere, nec in alia Ecclesia iuramentis (H. juradera) frequentata, sub multa decem millium maravedisiorum ad nostrum cubiculum & fiscum (applicandum) iuranti, iudici precipienti, & parti adverse postulanti aut exigenti.

COMMENTARIUM

In Legem LXVII.

SUMMARIUM.

1. Iuramentum quomodo debet prestari?
2. An possit quilibet de populo accusare de isto delicto iuramenti, quando quis jurat super rebus sacris?

Nota ex ista lege, quod nemo potest in isto regno iuramentum prestare super rebus sacris hic nominatis & designatis, etiam de consensu, licentia, & mandato iudicis, sub pena hic contenta fisco applicanda; quam incurrit ipse iurans, & adversa pars qua petit, & ipse iudex qui consensit vel mandavit.

Pro cuius perfecta declaratione dico, & presuppono, quod regulariter de iure communi quodlibet iuramentum decisorium, vel calumniae, vel voluntarium, vel necessarium, regulariter debet fieri & prestari modo & forma communi, ut in toto titulo, ff. & Codic. extra, de Iurejur. tamen de consensu & voluntate potest fieri in qualibet Ecclesia, pio loco, vel re sacra: textus est singul. in leg. generaliter, §. final, Codic. de Rebus creditis, ibi: Sive sub ipso iudice prestari oportet iuramentum, sive in domibus, sive in sacris scripturis tactis, sive in sacrosanctis oratoriis, & ibi notant & commendant DD. precipue Salicet, qui reputat mirabilem: & illum textum ad hoc notat & commendat Bald. in capit. 1. de Nova forma fidelitatis, column. 1. num. 2. idem Bald. in capit. 1. §. Item sacramenta, column. 2. num. 4. de Pace tenenda & iure firmam, column. 2. num. 4. probat expressè lex 1. juncta leg. 19. tit. 11. part. 3. Confirmatur ex definitione iuramenti: quia iuramentum est: Dictum, assertum,

vel promissum sacra rei attestatione firmatum: ita Bald. in dict. cap. 1. §. 1. Item sacramenta, column. 2. num. 3. Quod limita & intellige, praeterquam si fiat iuramentum purgationis vulgaris, submittendo, se evidenti periculo, in ferro igneo vel, praelio, aut alio simili casu, quod vult, subire, si verum non dicat: quia illud non valet nec potest fieri; nec, si fiat, habet effectum; quia videtur tentari Deus: text. est in cap. Menan. 2. quest. 5. text. in cap. ex tuarum de Purg. canon. text. in cap. 1. & per tot. de Purg. vulg. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Quibus deductis & praesuppositis, dico, quod vult ista nostra lex, quod similiter sit reprobatum & prohibitum iuramentum super istis rebus sacris, quia solent in eis miracula apparere; & committere litem vel negotium huic miraculo, esset tentare Deum; ideo per nostram legem reprobatur, & prohibetur: & ista est ratio vera & fundamentalis hujus legis.

Item adde & extende dispositionem hujus legis, ut quilibet de populo possit accusare de isto delicto & poena: quia licet regulariter omne delictum censeatur privatum nisi lege dicatur quod sit publicum, & soli parti offensae quaeratur jus, actio vel accusatio, & non alteri, modò agatur civiliter; modò eriminaliter, ut in leg. 3. §. final. ff. de Privat. & in leg. final. ff. de Privat. delict. & in leg. Manifestissimi, Codic. de Furtis, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. & tenet Bartol. Imol. & communiter DD. in leg. 1. ff. de Publ. judic. Bald. & DD. in Rubr. Cod. Qui accus. non possunt, idem Bald. & communiter DD. in leg. Transigere, Cod. de Trans. Abb. & Canon. in cap. cum P. Manconela de Accusat. etiam si pro tali delicto imponatur poena mortis, ut est Glossa singularis & unica in leg. pen. ff. de Cond. caus. dat. caus. non secum. quam ibi notant & commendant communiter DD. & dixit unicam Bald. in cap. Ac si Clerici, de Judic. column. 4. num. 17. tamen delictum quod respicit offensam Dei dicitur publicum, & ejus accusatio competit cuilibet de populo: Primò, quia illud quod fit in offensam Dei, dicitur fieri in omnium injuriam. Secundò, quia aliàs tale delictum remaneret impunitum, ex quo nulla privata persona sit offensa: ita probat text. in leg. 4. Cod. de Har. & ibi notat & commendat Jac. Butr. & communiter DD. textus in leg. Quod senatus, ff. de Injur. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. & communiter DD. in leg. 1. ff. de Publ. jud. column. 2. Bald. in leg. Reos. Cod. de Accusat. Ana. in cap. 2. de Malef. Angel. & communiter DD. in §. 1. Institut. de Publ. jud. Ex quibus clarè infero & teneo, quod in casu hujus legis accusatio per-

pertinebit cuilibet de populo. Item etiam infero, quod accusatio poene contra blasfemos in regno nostro competit etiam cuilibet de populo.

TEXT. LXVIII.

SI alguno pusiere sobre su heredad algun censo, con condicion que si no pagare á ciertos plazos, que caiga la heredad en commisso; que se guarde el contracto, y se juzgue por él, puesto que la pena sea grande, y mas de la mitad.

Id est:

Si quisquam imposuerit censum aliquem pradio suo ea conditione, ut nisi solverit ad certos terminos pradium incidat in commissum; contractus servetur, & juxta illum judicetur, nec obstat quod poena sit gravis & plusquam dimidium.

COMMENTARIUM

In Legem LXVIII.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur verus dominus; quasi dominus; Superficiarius, & feudatarius?
2. Quis dicatur emphyteuta, & censuarius?
3. Differentia qua sunt inter emphyteutam & censuarium.
4. An poena posita in contractu emphyteutico vel censuario debeat servari, licet sit magna?
5. Si emphyteuta conveniatur pro annuis pensionibus praeteritis, & non possit probare se solvisse pensionem earum, si probat solvisse in tribus annis proximis praeteritis, videtur solvisse in aliis.

Nota ex ista leg. quod omne pactum, conditio, vel poena posita inter partes in contractu census debet servari, licet poena sit excessiva & ultra dimidiam iusti pretii.

Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione dico, quod quidam est verus & proprius dominus rei; scilicet, ille qui habet verum, proprium, perfectum, & absolutum jus in re alienandi & disponendi: text. est in leg. Si quis vi, §. Differentia, ff. de Acquirenda possession. text. in leg. 1. & per tot. ff. de Acquirendo rerum domin. text. in leg. 1. & per tot. ff. & Cod. de Donat. text. in leg. Re mandata, Cod. Mandat. text. in leg. 1. & per tot. ff. & Cod. de Rei vend. Quidam est quasi dominus; scilicet, ille qui habet & acquisivit rem à non domino cum titulo & bona

Anton. Gomez. ad Legem Tauri.

fide, cum facultate praescribendi: text. est in leg. 1. & per tot. ff. de Public. text. in §. Sed iste quidem, Instit. de Actio. Quidam est proprietarius; scilicet, ille qui habet nudam, & solam proprietatem in re. Quidam fructuarius; scilicet, ille qui habet tantum usumfructum in ea, ut in leg. 1. & per tot. ff. & Cod. de Usufruct. Quidam est superficiarius; scilicet, ille qui habet superficiem tantum in domo vel re alterius, & in solo, & fundamento ejus nihil juris habet; quam superficiem emit à domino, vel ei aliquam pensionem annuam solvit text. est in leg. Superficiario, ff. de Rei vend. & ibi communiter DD. text. in leg. 1. & per tot. ff. de Superficiebus, & tenet, & declarat Bartol. & DD. antiqui in leg. fin. eodem titul. Jas. notat, & Moderni in leg. 3. §. Si ego, ff. de Oper. novi nuntiat. column. 2. num. 2. Cujus virtus & natura est, quod possit rem vindicare tamquam utilis dominus; Item, quod possit novum opus nuntiare; item, quod destructa & perempta superficie igne vel alio casu fortuito, pereat in totum superficies, etiam si suis sumptibus vellet aedificare; ut dictis iuribus probatur, & tenet Bald. in Rubric. Cod. de Jure emphyteut. & Moderni in dict. leg. 3. §. Si ego de oper. novi nunt. Quidam est feudatarius; scilicet, ille qui rem immobilem à domino recepit utendam & fruendam respectu usufructus, & in recompensam ipse & haeredes sui masculi in perpetuum aliquod servitium personale domino annuatim offerant: ita probat text. in cap. 1. §. fin. Quib. caus. feud. amittatur, in lib. 1. Feud. & tenet Bald. column. 3. num. 8. in praeludis Feudorum 18. & ibi Jac. de Belloviso, column. 1. & quest. Alvarot. in proemio Digestor. quest. 5. Jacob. de Sanct. Georg. in tract. Feud. in verb. in feudum, fol. 23. Martin. de Laude in proem. Feud. column. 2. quest. 1. & ibi Curt. column. 12. quest. 6.

Quidam est emphyteuta; scilicet, ille qui super re immobili à domino tradita, & reservato sibi directo dominio, & utili translato, imposuit & promisit solvere aliquam annuam pensionem in perpetuum, pretio interveniente vel non, in recognitionem directi domini, vel recompensam fructuum: ita probat text. in leg. 1. & per tot. Cod. de Jure emphyt. text. in leg. 1. & per tot. ff. Si ager veftig. vel emphyt. text. in cap. Potuit de locato: text. in §. Aded, Instit. de Locat. & cond. text. in Authent. Si quas ruinas, Cod. de Sacrosanct. Eccles. text. in Authent. Qui rem. eod. tit. & utrobique Glossa ordinaria, & communiter DD. & tradit etiam Specul. in tit. de Locat. & conduct. §. Nunc aliqua. Bartol. & Moderni in leg. Si mihi & Titio, ff. de Verbor. oblig. & probat lex penult. & final.

Iii 2

iii.

tit. 8. part. 5. (o) Quidam est censuarius; scilicet ille qui rem immobilem pleno jure cum dominio directo & utili ab alio recepit pro certo pretio statim dato & soluto, & insuper pro certa annua pensione in perpetuum ei præstanda: ita probat text. in cap. Constitutus, de Relin. domin. & ibi Glossa ordinaria, Innocent. Abb. & communiter DD. Bartol. in leg. 1. §. 1. ff. de Publ. & vectig. Joan. de Imol. notabiliter & alii DD. in cap. Ad audientiam, column. 2. de rebus Eccles. non alien. Jas. in leg. 1. Cod. de Jure emphyt. column. 10. num. 48. licet secundum eos aliquando unus ponatur pro alio à tabellione vel partibus; sed non sunt attendenda verba, sed substantia, virtus & natura cujuslibet contractus secundum eosdem.

Ex quibus ego infero, quod similiter & à fortiori erit censuarius, quando quis in re sua propria immobili aliquo pretio vel gratia constituit alteri censum & aliquam annuam pensionem in perpetuum, vel ad tempus; quia videtur fictè & brevi manu rem illi tradidisse pretio, vel gratis, & postea ab eo recepisse in pleno dominio, & illum censum & annuam pensionem promittere: argumento text. cum materia in leg. Singularia, ff. Si certum petatur. Vel aliter & secundò dicas, quod sicut quando quis tradit suam propriam rem alteri in pleno dominio eo pacto & conditione, ut sibi præstetur certus census & annua pensio; ita eadem ratione valet pactum & conventio, ut verus & proprius dominus pretio ab alio recepto, vel gratis constituat ei censum & pensionem in re: & dicitur contractus census sicut primus, & habent locum in eo omnia, quæ sunt statuta in primo; quia est eadem ratio. Et iste est verissimus intellectus & declaratio hujus leg. & ita tenet Bald. licet sic non declaret, in Authent. & qui jurat. Cod. de Bon. author. jud. possess. column. 13. num. 59. & expressè & notabiliter Innoc. Abb. Anc. Card. & communiter DD. in cap. in civitate, de Usuris, & tenet & declarat melius quam alibi Palac. Rub. hic column. 1. num. 20. Imò, quod magis est, si quis recepit ab alio pecuniam ut statim efficiatur sua & perpetuo debeat penes eum remanere, ut teneatur præstare quolibet anno, vel ad tempus certam annuam pensionem, sine eo quod constituat eum super aliqua re vel

fundo; iste contractus valet & tenet & est licitus, & recipiens censetur censuarius; nec committitur usura, quia pecunia non est mutuata; nec debet restitui ei, qui dedit, sed perpetuo penes recipientem debet remanere; & sic est licitus contractus, sicut quando quis imponit censum in re quam recepit ab alio, vel in re propria, vel vendit annuos redditus jam constitutos: ita prædicti DD. in dict. cap. in civitate, de Usuris. Quod est singulare & quotidianum. Et his modis, vel quolibet eorum potest & debet ista nostra lex Tauri intelligi & declarari, ut loquatur in contractu census, & in eo valeant & teneant omnia pacta & conventiones, quas partes posuerint.

Et ex superioribus, & ex differentia quam posui inter emphyteutam & censuarium infero sequentia, quæ sunt singularia & notabilia. Primò infero, quod licet emphyteuta non solvens pensionem domino directo per tres annos continuos cadat à jure suo, ut in leg. 2. Cod. de Jure emphyt. & in dict. leg. pen. titul. 8. part. 5. tamen censuarius non solvens per dictos tres annos, & adhuc plures, non incidit in commissum, nec cadit à jure suo: ita probat text. in cap. Constitutus de relinq. domin. & ibi tenet. Gloss. ordinaria, Innoc. Hostiens. Abb. Anchar. Cardin. & communiter DD. tenet etiam & valdè commendat Imol. in cap. Ad audientiam, de rebus Eccles. non alien. Bald. in Authent. aqu. de Bon. author. jud. possess. Fab. in §. Adeo Instit. de Locat. & con. pen. column. Jas. in leg. 1. Cod. de Jure emphyt. column. 10. num. 48. idem Jas. ubi reputat singulare & perpetuo menti tenendum, in leg. 2. eod. tit. col. 11. num. 44. Secundò infero, quod licet emphyteuta vendens vel alienans rem, irrequisito domino directo, amittat rem & applicetur domino, ut in leg. fin. Cod. de Jure emphyt. & in leg. fin. tit. 8. part. 5. tamen censuarius potest licite vendere nullo requisito, & non amittit rem nec jus suum: Et ratio vera & fundamentalis est, quia censuarius est plenus & perfectus dominus rei, & tantum est obligatus ad pensionem, & apud creditorem, cui debetur pensio non est aliquod dominium nec jus rei: sed emphyteuta tantum habet utile dominium, & directum remansit penes dominum; unde, in recognitionem ejus res cadit in commissum, &

(o) Hanc sententiam, & sic utile dominium emphyteutam habere defendit Pinell. in leg. 2. Cod. de Bonis maternis, part. 3. num. 11. Serment. lib. 3. Selectarum cap. 2. num. 26. & sequentib. Alvar. Valasc. de Jure emphyteutico, part. 1. quaest. 13. Corras, lib. 9. Miscellaneorum, cap. 20. num. 2. Vocon. declarat cap. 43. num. 24. Quæ sententia licet receptissima sit, in puncto tamen juris contraria defendi potest, prout eam defendit Duaren. lib. 1. Dispunctionum, cap. 17. Main. lib. 1. Actionum, in Arte reductorum, cap. 6. Parlador. Rerum quotidianarum, cap. 1. §. 2. num. 14. asserentes unicum tantum esse dominium, idque apud concedentem emphyteusim manere.

& amittitur si pensio non solvatur, vel res alienetur: & in expressò ita tenet Sepecul. & Joan. Andr. 1. in addit. ejus in tit. de Locato & conducto, §. Sed nunc. vers. 118. & videtur tenere Bald. in leg. 3. Cod. de Servit. & aqua. Jas. in leg. 2. Cod. de Jure emphyt. num. 48. & istud teneo pro firma veritate, licet Jas. teneat contrarium in dict. leg. fin. Codic. de Jure emphyt. quaest. 18. num. 131. Quod intellige & declara, nisi inter contrahentes fiat pactum & conventio, quòd pretio non soluto per certum tempus, vel re alienata irrequisito creditore, cui pensio præstatur, res incidat in commissum: quia tale pactum & conventio debet servari, dato casu quòd pœna sit magna & excessiva: ista est propria decisio nostræ legis.

4 Item nota ex ista lege principalem conclusionem ejus: quòd pœna posita per partes in contractu emphyteutico, vel censuali, debet servari, quamvis sit magna & excedat medietatem: quæ videtur valdè dubia in hoc. Pro cujus perfecta declaratione dico, quòd de jure communi maxima erat dubitatio & controversia, utrum pœna appositæ in contractu possit exigi in qualibet summa & quantitate? Et vera, & communis resolutio erat, quòd pœna legalis regulariter non excedat quadruplum: conventionalis verò, modò apponeretur per verba multiplicativa, ut duplum, triplum, quadruplum, &c. modò per verba numeralia, ut centum, vel mille, &c. possit excedere & valere in qualibet summa: Quod est verum & procedit, quando pœna adjicitur rei vel quantitati certè principaliter deductæ in contractu, vel obligatione: secùs verò si adjiciatur factò, rei, vel quantitati incertæ; quia tunc, si ponatur per verba multiplicativa, non potest excedere duplum; si verò per verba numeralia & simpliciter, potest excedere & valere in qualibet summa & quantitate: quia primo casu posset pœna multum excedere plus quam partes cogitassent; secundò verò non. Et in summa ista est perfecta, brevis & compendiosa resolutio hujus articuli & materiæ quàm probat text. in leg. Stipulatio ista, §. Alteri, ff. de Verborum obligatione, text. in leg. Si dictum, ff. de Eviction. text. in §. Alteri. Institur. de Inutil. stip. text. in §. Omnes juncto §. Tripli, & §. Quadrupli, Instit. de Action. & utrobique communiter DD. tenent etiam Bartol. Cin. Bald. Salic. & communiter DD. in leg. unica, Cod. de Sentent. qua pro eo quòd inter. profer. Hoc ergo maximum dubium tollit nostra lex in contractu emphyteutico & censuali, & vult quòd pœna appositæ inter partes indistinctè valeat & teneat.

Item etiam ista lex in hac sua principali conclusione & decisione potest intelligi, ut loquatur

Anton. Gomez. in Legem Tauri.

in deceptione ultra dimidiam justi pretii, ut ex hoc non rescindatur iste contractus. Pro cujus etiam perfecta declaratione dico, quòd de jure communi erat maxima dubitatio, an in contractu emphyteutico & censuali habeat locum remedium, leg. 2. Cod. de Rescind. vend. Et reperias quòd Speculat. in tit. de Locato, §. Nunc verò aliqua, vers. 90. Quæro &c. tenet quòd sic, quia assimilatur contractui locationis & conductionis, ut in §. Adeo, Inst. de Locat. & conduct. Bald. in Rubr. Cod. de Jure emphyteut. vers. Quæro an valeat; &c. idem Bald. in leg. 2. Cod. de Rescind. vend. column. 4. num. 6. & ibi Paul. & Salic. column. 4. & magis communiter DD. Jas. in leg. 1. Cod. de Jure emphyt. num. 74. & 75. Et tenendo hanc partem, læsio vel deceptio ultra dimidiam æstimabitur hoc modo scilicet, quando facta æstimatione & contemplatione pensionis recipiendæ per 20. annos, & considerata æstimatione ipsius rei, non resultat ex aliqua parte læsio vel deceptio ultra dimidiam: ita probat text. in Auth. de Non alienand. aut. permutandis, &c. collat. 2. quem ibi ad hoc notat & summè commendat Angel. & alii DD. Sed contrarium hodiè vult & statuit nostra lex, imò, quòd in tali contractu emphyteutico vel censuali non habet locum rescissio contractus propter maximam læsionem ultra dimidiam justi pretii: Pro qua potest facere urgens ratio: quia maxima incertitudo est & versatur circa tempus fruitionis & solutionis pensionis & census, & circa finem & extinctionem ejus: ergo meritò non potest cognosci nec constare de læsione ultra dimidiam justi pretii.

Item adde pro complemento hujus legis & materiæ, quòd si emphyteuta vel censuarius conveniatur pro annuis pensionibus præteritis, & non possit probare solutionem earum; eo ipso quòd probet & ostendat scripturam, apocham, vel schedulam, in qua contineatur se solvisse in tribus annis proximis præteritis, præsumitur retrò totaliter solvisse in omnibus annis præteritis, nisi contrarium probetur: textus est singularis & unicus in jure in leg. Quicumque, Cod. de Apochis publicis, lib. 10. quem ad hoc reputat ibi mirabillem Bartol. Luc. de Penna, Platea, & communiter DD. Illum etiam reputat unicum Bald. in leg. 2. Cod. de Dotis promiss. & illum etiam ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria in leg. 2. Cod. de Jure emphyteut. in verb. Repellere, in med. & ibi reputat singularem Salicet. column. 2. & communiter alii DD. præcipuè Jas. num. 168. & licet illa lex loquatur in emphyteuta reipublicæ, tamen eadem ratione idem est in emphyteuta vel censuario privatæ personæ, & in quolibet colono vel inquilino: ita Bald. in cap. Littera

de dilationibus, & Angel. in *Authent. de Non alien. aut permut.* §. Scire, collat. 2. & Jas. in *leg. 2. Cod. de Jure emphyt. num. 170.* Quod limita & intellige quando unquamque schedula est facta de per se quolibet anno; secus verò si una sola pro omnibus tribus: ita Bald. in *dict. leg. 2. de Dotis promissis.*

TEXT. LXIX.

Ninguno pueda facer donacion de todos sus bienes, aunque la faga solamente de los presentes.

Id est:

Nullus possit omnium suorum bonorum donationem facere, etiamsi eam faciat tantum presentium.

COMMENTARIUM

In Legem LXIX.

SUMMARIUM.

- 1 Donatio omnium bonorum presentium & futurorum de jure communi non valebat; hodie tamen per nostram legem non valet donatio presentium tantum.
- 2 An donatio ista bonorum presentium valeat saltem in aliquo?
- 3 An ista donatio omnium bonorum presentium valeat, si donator aliquid sibi reservavit?
- 4 An ista donatio invalida omnium bonorum firmatur juramento?
- 5 An ista donatio omnium bonorum valeat si fiat causa mortis?
- 6 An donatio omnium bonorum facta Ecclesie vel pio loco valeat?

Nota ex ista lege unicam & principalem conclusionem ejus: quòd hodiè in isto regno nemo potest alteri donare omnia bona sua presentia. Pro cujus perfecta declaratione dico & præsupto: quòd de jure communi licet nemo possit donare omnia bona sua presentia & futura; (quia in effectu est pactum & promissio de succedendo, & eum hæredem post mortem relinquendi, quæ non valet ipso jure, nec ex ea oritur aliqua actio nec obligatio civilis vel naturalis: text. est in *leg. Stipulatio hoc modo concepta*, ff. de Verborum obligation. text. in *leg. Tres fratres*, §. Idem respondit, el 1. ff. Pro socio. text. in *leg. Ex eo*, Cod. de Inutil. stipul. text. in *leg. Hæreditas*, Cod. de Pactis conventis: text. in

leg. Cum donationis, in fin. Cod. de Transact. text. in *leg. Pactum quod dotali*, Cod. de Pactis. Cujus prima ratio est, quia tale pactum & promissio est contra bonos mores: Secunda, quia inducit votum captandæ mortis: Tertia, quia aufert liberam facultatem testandi, cum non habeat nec possit habere bona ex quibus testetur: ita probant prædicta jura, & probat etiam text. in *leg. Si unus*, §. Illud, ff. de Pactis, text. in *leg. Convenire*, ff. de Pactis dotat. text. in cap. Ne captanda de concession. præbend. lib. 6. text. in *leg. 1. Cod. de Sacros. Eccles.* & tenet Bartol. Alber. & communiter DD. in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta*, adeò quòd, etiam si tale pactum de succedendo, vel promissio & donatio omnium bonorum presentium & futurorum sit reciproca inter duos vel plures, non valet: ita probat text. singularis & unicus in *leg. de Fideicommissis*, Cod. de Transact. ubi disponitur, quòd valet & tenet inter duos vel plures renuntiatio & donatio hæreditatis & futuræ successio- nis jam sibi delatæ ab aliquo defuncto virtute fideicommissi reciproci: ergo secus est in pacto & donatione etiam reciproca inter duos vel plures de sua propria hæreditate viventium: & ad hoc reputat singularem & unicum Bald. & communiter DD. ibi: Ex quibus rationibus & qualibet earum, & ultra eas, ex eo quòd ista lex est prohibitiva infertur clarè quòd non potest renuntiari; argumento text. juncta Gloss. ordinaria & communi opinione, in *leg. 1. & per tot. Cod. de Fidejussores dotium dentur.*) Tamen bene potest quis donare omnia bona sua presentia mobilia & immobilia, jura & actiones: text. est notabilis & expressus in *leg. Omnes*, §. Lucius, ff. de His que in fraud. cred. & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria, Bartol. Alber. Angel. Cuman. & communiter DD. text. in *leg. Si quis argentum*, §. Sed & si quis universitatis, Cod. de Donat. & ibi notabiliter & communiter Bald. Angel. & alii DD. text. in §. Sin autem, ejusdem leg. text. in *leg. 4. vers. Sane*, Cod. de Contrah. emptio. text. in *leg. Si unquam*, Cod. de Revoc. don. & idem disponit *leg. 1. tit. 4. part. 5.* tenet Bartol. in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta*, de Verborum oblig. column. 2. in med. & ibi communiter DD. idem Bartol. in *leg. Post contractum*, ff. de Donat. idem Bartol. & communiter DD. post Gloss. ibi, in *leg. fin. Cod. de Pactis*, Gloss. in §. Item si quis in fraudem, Inst. de Actio. & ibi Faber & communiter DD. Cujus ratio erat, quia poterat acquirere & habere bona in futurum, & in eis habere hæredem quæ non veniebant in donatione & præsumptio juris est quòd acquireret; argumento text. in *leg. Si defunctus*, Cod. Arb. tutel. unde meritò talis donatio valebat. Hodiè tamen donatio

bonorum presentium tantum non valet nec tenet per nostram legem, & corrigitur jus commune; & idem videbatur antea disponere *leg. 7. tit. 12. lib. 3. For. ll.* Cujus ratio potest esse: quia ex tam immensa donatione præsuntur fraus, secundum Palac. Rub. & Glossatores hic. Sed certè ista ratio non concludit, nec est tenenda: quia etiam in donatione presentium & futurorum non præsuntur; ergo nec in ista. Unde dic, quòd ratio vera potest esse principaliter favore subditorum, & secundariò favore reipublicæ; quia convenit donanti & reipublicæ, ne quis prodigaliter utatur substantia sua, & perdat bona sua; argumento text. in *leg. Imperat. ff. Ad Treb.* text. in §. fin. Inst. de His qui sunt sui vel alien. jur. text. in *leg. unica*, §. fin. Cod. de Caduc. tollen. text. in *Auth. de Hæred. & fal. vers. Incurrunt*, collat. 1. text. in *Auth. Ut judices sine quoquo suffragio*, vers. Cogitatio, collat. 2.

2 Circa quam primò quæro, an ista donatio bonorum tantum presentium valeat saltem in aliquo? Et breviter & resolutivè teneo quòd non; quia non est major ratio quòd valeat in una parte vel re quàm in alia; & probat textus notabilis & expressus in *leg. Si libertus minorem*, §. Si quis plures, ff. de Jure patronat. ubi disponitur, quòd donatio plurium rerum uno contextu facta in fraudem & prohibitionem legis, ipso jure & totaliter est nulla, etiam respectu eorum quæ separatim de per se valere poterant: & ibi communiter notant DD. antiqui. Confirmatur etiam: quia donatio omnium bonorum presentium & futurorum adeo est nulla & reprobata à jure, ut non valeat etiam in presentibus, in quibus de jure communi valere poterat si fieret sola & de per se: ita Bald. in *leg. fin. Cod. de Pactis*, penult. column. Paul. & magis communiter DD. Roman. Alexand. & communiter etiam DD. in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta*, Imol. & alii DD. in *Rubr. extra, de Testam.* licet Bartol. relinquat indecisum in *dict. leg. fin. Cod. de Pactis*. Nec obstat textus notabilis in *leg. Sancimus* vers. 1. Cod. de Donat. ubi habetur, quòd donatio quæ excedit 300. & hodiè 500. solidos, valet saltem in quantitate in qua non requiritur insinuatio: text. in §. Sin autem ejusdem leg. text. in *leg. 9. tit. 4. part. 5.* Quia respondeo, quòd ibi erat certa quantitas expressè taxata & determinata à lege, in qua poterat valere donatio; sed in nostro casu non est taxata quantitas, res vel summa in qua possit valere. Confirmatur etiam; quia alias diceremus quòd valeret donatio, excepto uno nummo, vel aliqua re minima; & in terminis ita declarat subtiliter Bald. in *dict. leg. fin. Cod. de Pactis.*

3 Secundò quæro, an talis donatio omnium

bonorum presentium valeat, si donator reservavit sibi aliquam rem vel quantitatem, ex qua testari possit? Et breviter teneo quòd sic; quia tunc cessat ratio fundamentalis impeditiva testamenti: dum tamen sit aliqua res vel quantitas notabilis, & non ita parva, tenuis, & minima, quòd non sit in consideratione: ita Bartol. in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta*, de Verbor. oblig. column. 2. num. 6. & ibi communiter DD. & idem est si donator reservasset sibi usum fructuum bonorum per tempus vitæ suæ; quia de fructibus perceptis vel pretio eorum poterit testari: ita notat Paul. de Castr. in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta*, in finalibus verb. & ibi Alexand. column. 7. num. 18. & Jas. column. 7. vers. Secundo per illam doctrinam infertur, & est communis opinio, licet Paul. de Castr. teneat contrarium in *leg. fin. Cod. de Pacto*, penult. col. num. 10.

Tertiò quæro, an talis donatio omnium bonorum presentium firmetur juramento? Et videtur quòd non, per sequentia: Primò, quia sicut donatio omnium bonorum presentium & futurorum (quæ non valet de jure communi, quoniam est contra bonos mores, & inducit votum captandæ mortis, & aufert donanti libertatem testandi) non firmatur juramento; ut in *cap. Non est obligatorium*, de Regul. jur. in 6. & in *leg. Non est dubium*, Cod. de ll. & in terminis tenet Bartol. & communiter DD. in *leg. Stipulatio hoc modo concepta*, ff. de Verborum obligat. Bald. in *leg. fin. Cod. de Pactis*, penult. column. & ibi etiam communiter DD. ita hodiè in nostro regno non valet donatio omnium bonorum presentium tantum, sed est prohibita & reprobata: ergo similiter eadem ratione non debet firmari juramento. Secundò, quia quando contractus prohibetur ratione publicæ utilitatis, non firmatur juramento: text. est in *cap. Si diligenti de foro compet.* & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. tenet etiam magistraliter Bartol. in *leg. Si quis pro eo*, ff. de Fidejuss. col. 3. Abb. & Canonistæ in *cap. Cum contingat. de Jur. rejur.* column. 4. sed donatio omnium bonorum censetur hodiè prohibita per nostram legem Tauri favore reipublicæ: ergo non firmetur juramento. Tertiò facit, quia legi prohibitive non potest etiam cum juramento renuntiari, maximè quando prohibitio dirigitur ad personas: ista est doctrina & theorica magistralis Bartol. in *dict. leg. Si quis pro eo*, ff. de Fidejuss. column. 4. idem Bartol. in *Auth. Sacramenta puberum*, Cod. Si advers. vend. idem Bart. in *leg. Prator ait*, ff. Novi oper. nunt. sed nostra lex expressè dirigit prohibitionem ad personas, quia dicit: Ninguno pueda facer donacion, &c. ergo non firmatur juramento.

Quar-